(2

CONSTITVTIONES EDITAE IN DIOECESANA SYNODO

HABITA VITERBII

Ab Eminentiſs. & Reuerendiſs. D.

CARD. BRANCATIO

EPISCOPO VITERBIEN. ET TVSCANEN.

Die XXI. Nouembris M. DC. XXXXIX. 1649



BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III · NAPOLI

VITERBII,

Apud Marianum Diotalleuium Impreſſ. Publ. M. DC. L.

EDICTVM
INDICTIONIS SYNODI.

FRANCISCVS MARIA

Miſeratione Diu. Tit. SS. XII. Apoſtolorum de Vrbe S. R. E. Presbyter Cardinalis Brancatius Epiſcopus Viterbien; & Tuſcanen.

Vniuerſis, & ſingulis Chriſti Fidelibus Ciuitatum, & Diaceſis noſtræ, gratiam, & ſalutem in Domino ſempiternam.

PErennis officij paſtoralis ſollicitudo nos commouet, vt viſitationis munere perfuncto, commiſſo nobis gregi omni ex parte attendentes, Diœceſanam Synodum conuocemus; hæc enim norma proponitur, hæc præſcriptio datur, vt mores Eccleſiaſticæ diſciplinę conſtituantur, & in rectam viam dirigantur. Tertius quidem erit Synodalis conſeſſus, illum tamen omnium celebriorem optamus, ac ſpe-

ramus; non in decretis condendis, ſed vt ſeminatam ſegetem fœcundè pullulaſſe agnoſcamus in his, quæ in vna, aut altera Synodo, & in proxima viſitatione ſalubriter inſtituta ſunt, & vberrimos executionis fructus excipiamus; tum præterea ſi quę alia iudicium à nobis deſiderent, circũſpecta ratione ſtatuamus. Itaque his noſtris litteris ipſam Synodum ad diem vigeſimum primum Nouembris proximè ſequentis (Deo adiuuante) iterum celebrandam indicimus, ac monemus omnes, quicunque ſint, qui de iure, & conſuetudine, aut ex decretis Sacri Concilij Tridentini, vel ex conſtitutione Gregorij XV. de exemptorum priuilegijs intereſſe debent, eiſque in virtute ſanctæ obediẽtiæ, ſub pœnis in eiſdem ſacris can. impoſitis præcipimus, vt eodem die, ſummo manè, mundis ſuperpelliceis, aut aliàs congruenti habitu induti ad noſtram Cathedralem Eccleſiam Viterbien. accedere ne præstermittant, ac inde diſcedere, niſi ipſa Synodo abſoluta ne audeant. Qui verò ex legitimis cauſis id pręſtare per ſe ipſos non valuerint; nobis eas deducant, libenter enim aures porrigimus ad iuſta impedimenta admittenda. Quamobrem noſtræ Diœceſis fideles in Domino

hor-

hortamur, vt omnem ſollicitudinem facientes perquirendi, ac ſtatuendi, de communi eorum ſalute, ne tamquam errantia ſydera, neglectis legibus dilabantur, ipſi quoque noſtris votis adiuncti, diuinę bonitatis clementiam implorent, vt hæc ſanctè, ac iuſtè ſic tractemus, quò noſtri, illorumque greſſus in viam ſalutis dirigantur. Datum Viterbij apud S. Laurentium. XXVIII. Octobris M. DC. XXXXIX.

Franciſcus Maria Card. Brancatius.

Laurentius Florettus Cancell.

LITTERAE SYNODALES.

Ad Archipresbyteros, Rectores, & Vicarios foraneos tranſmiſſæ.

Molto RR. come fratelli.

Conſeruiamo coſtantemente nell'intimo del noſtro cuore la ſentenza del Sac. Vangelo, che fidele, e prudente deue eſſer quegli, che porta il peſo della Cura Paſtorale, à che non ſi può adeguatamente corriſpondere, che con la perſeueranza nelle Viſite, e con ragunare le Congregationi Dioceſane, che ſono mezi opportuni per conſeguire, e conſeruare la riforma della diſciplina Eccleſiaſtica.

Coll'vne, e coll'altre habbiamo procurato d'adempire l'obligationi, che ne ſono à Noi ingionte, e con ſentimenti di Zelo diſcreto, e di carità paterna ſtirpare, e purgare ſe coſa v'era di male, confermare, e promuouere quel che v'era di buono, per incaminare il noſtro dilettiſſimo Clero, e Popolo nella via della Salute. Speriamo nella Diuina Clemenza, principio, e lume d'ogni perfettione, che habbia regolate queſte noſtre attioni, e condite queſte noſtre fatiche con la gratia di quelle virtù, che ſono il ſoſtegno d'ogni noſtra degna operatione. Ma poco giouando ogni buona ordinatione, mentre ella non ſia accompagnata da vna fedele

eſecutione, e ricordeuoli, che ne ſarà riueduta ragione, non tanto di ciò, che hauremo accuratamente ordinato, come di quanto haueremo fedelmente oprato, habbiamo deliberato di conuocare la noſtra terza Sinodo, per riconoſcere nel noſtro Clero vn applicata oſſeruanza, e rincontrar vna pronta eſecutione di quanto nelle due precedenti Sinodi, e nelle noſtre viſite s'è ordinato, e per ricoglierne quel copioſo frutto, pel quale fin dalla primitiua Chieſa ſono ſtati celebrati i ſacri Concilij.

Primieramente ordiniamo, ch'ogni Feria quinta in ciaſcheduna Chieſa ſi celebri la Meſſa dello Spirito santo, & eſſendo tal giorno impedito di Festa doppia, ſi dica la colletta, dandoci à credere che concorreranno à questo Spirituale aiuto anche i Regolari delle nostre Città, e Dioceſe.

2 Et eſſendo tutto ciò drizzato al comune bene de' fedeli commeſſi alla noſtra Cura, non ſi manchi eſſortar loro à comunicarſi tutti in vna delle cadenti Feſte, per conſeguire da S. D. M. il fine, che ne deſideriamo, & acciòche, tanto più valeuole ſi renda ogni noſtro conſiglio.

3 Sarà principal penſiero de' Parochi di laſciar le loro cure in modo diſpoſte, e raccomandate per l'amminiſtratione de' Santiſſimi Sacramenti, che anche nella loro aſſenza ſi riconoſca vn vigilante affetto verſo di quelle.

4 Si faccia diligente inueſtigatione di tutto ciò, che haueſſero biſogno di nuouo rimedio, è di quel di più, che pareſſe eſpediente per maggior vtile ſpirituale del noſtro Clero, e Popolo, perche ci ſarà gratiſſimo, che ne venga inſinuato, e vi faremo il douuto rifleſſo.

5 Do-

5 *Deueranno auuertirne ſe nel Clero vi foſſero mancamenti comuni, e ne Regolari difetto, che ripugni alla diſciplina, & oſſeruanza, che profeſſano.*

6 *Perche niente vale il gettar buona ſementa mentre ella venga ſuffogata dalla prauità della zizania, non ſi traſcuri di ſcuoprire gli abuſi, li coſtumi deprauati, gli ſcomunicati, Concubinarij, & altri manifeſti, e publici peccatori, e darne à noi eſatta informatione, nel che ſe ſaranno mancheuoli ne ſoſterranno tanto più aſpro, e duro giuditio appreßo S. D. Maeſtà, e ſi ricordino, ch'l peccato all'hora maggiormente ſi conferma, e paſſa in habito, quando viene dißimulato dalla cruda indulgenza di chi ha peſo di procurargli il rimedio; habbiano il tutto à cuore come ſperiamo di vedere, e ſentir ; e le benediciamo nel Signore. Viterbo nel Noſtro Palazzo Veſcouale di S. Lorenzo li 23. Nouembre 1649.*

Al Piacer loro.

Franceſco Maria Card. Brancaccio.

AD HONOREM
INDIVIDVAE
TRINITATIS
B. Mariæ ſemper Virginis, SS· Laurentij, Valentini, & Hilarij Patronorum.

PROAEMIVM.

SANCTA profectò eſt, ac laudabilis conſuetudo ab Apoſtolorum primordijs deducta, Synodales congreſſus habendi. Ipſa enim experientia pro comperto habetur quidquid boni inductum, & conſolidatum eſt in Chriſtiano orbe, ab eo præſertìm tempore, quo Sacro Concilio Tridentino dictante illarum frequentior vſus reſtitutus eſt, ab vna Synodorum concelebratione profectum eſſe; Quamobrem partes iniuncti nobis muneris meditantes ad tertium Synodalem conſeſſum vos aduocauimus, non ad plurimorum decretorum leges excipiendas, cum præteritis per pauca adaugere intendamus, ſed ad præſtitæ villicationis rationem exquirendam.

Duo potiſſimùm ſolemni hac actione proponuntur Alterum eſt vt nobis; Alterum vt Vobis attendentes contemplemur ſi quid neglectus, vel noſtra qui iuſſimus, vel veſtra, qui iuſſi eſtis, culpa in illis exequendis irrepſit; Nobis planè conſtitutum eſt, ſic firmiter baculo Paſtoralis ſollicitudinis adhærere, vt temporis diuturnitate nun-

quam noſtra cura tabeſcat, eo ſtudio cuncta dirigere; acſi hodierna die commiſſi nobis gregis grauia pondera ſuſcepiſſemus, noſtriſq; in auribus reſonantia verba Prophetæ audiremus. Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes, vt

Ierem. Cap. pum.

euellas, & deſtruas, diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes. Exoptamus è contrà, vt vnuſquiſque veſtrum eandem adhibeat ſollicitudinem ad ſalubria monita expléda vſque in finem, & dignos Dei miniſtros, & cooperatores noſtros vosmetipſos exhibeatis, vt veſtros mores vbiq; religionem piumq; Zelum redolentes populus concelebret; Satagite ergo, vt tum ex huius, tum ex aliarum Synodorum elucubratione illud omnium virtutum complementum reportetis, quod vobis in Domino annunciamus, & exquirimus.



De

De Sacris Ordinibus. Cap. I.

AD ordines promouendi ſtudeant præfinito tempore benè inſtructos coram nobis ſe præſentare, ac vt facilius id præſtare valeant, ea quæ vnicuique ordini incumbunt hic recenſenda curauimus. & infra materna lingua exaranda.

Ad minores ordines promouendi bonum à Parocho, & Magiſtro ſcholæ habeant teſtimonium, & quòd in vno quoque munere ſe exercuerint, Eccleſias, ac ſacram communionem frequentauerint.

Ad ſingulos maiores ordines promouendi per menſem ante coram nobis ſe præſentent, ac de noſtro mandato in Eccleſia proponenda erunt eorum nomina, ordo ad quem promoueri inſtant, beneficium, penſio, aut bona patrimonij, vt ſciamus, an hæc ſint alicui vinculo obnoxia, an ea pacificè poſſideant, an ipſi ſint aliqua cenſura irretiti. Deferant fidem ætatis, natalium, morum, quòd in alijs ordinibus ſe exercuerint, quòd Eccleſiæ ſeruitium frequentauerint, quòd ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum crebrò ſuſceperint, quòd ſcholis, aut ſtudijs operam nauauerint, qui enim ſcientiam repellunt, repellentur, ne Sacerdotio fungantur. Noſtra digni erunt animaduerſione, tùm ij, quibus hoc munus dirigendum, ac explendum demandabimus, tùm ordinandi, qui & ordinibus carebunt, ſi prædicta contempſiſſe nouerimus. Sac. Conc. Trid. ſeſſ. 23 à Cap 4. reform. & infra.

Quoad facultatē in dimiſſorijs concedendam pro ſuſcipiendis ordinibus ab alieno Epiſcopo, declaramus, quòd ſi hæ non fuerint executæ infra trimeſtre à die datæ, expiraſſe cenſeantur.

De Canonicis, & Dignitatibus, Capitulis, & Clero. Cap. II.

IN abſentia eorum, qui Chori ſeruitio adſcripti ſunt vltra præfinitum à Sacro Concilio Tridentino tempus conniuere non poſſumus, ne nos ipſi alienæ culpæ reatum ſubeamus. Sciant itaque eis non licere quolibet anno vltrà ſpatium trium menſium, ſiuè continuum, ſiuè interruptum, & abſq; noſtra licentia abeſſe. Qui verò id tempus etiam interruptum exceſſerint pro punctatis habendi erunt ſingulis diebus etiam decurſis, prout hactenus conſuetum eſt punctari eos, qui continuò vltra illud ſpatium abſuerunt. Decernentes, ſic eos per punctatores punctandos eſſe, ſub pœna ſcluendi de proprio.

Eccleſiæ ſeruitio ita incumbendum eſt, vt ſtatis horis Diuina peragantur. Nemo igitur miſſam celebraturus accedat, niſi præfinita ſibi hora, & à Sacriſta, vel alio huiusmodi curam agente, vocatus, ſub pœna vnius libræ ceræ, quam ſeruitio Sacriſtiæ ex nunc applicamus. Ipſe verò ſacriſta ne audeat ſub eadem pœna alios admittere, quàm Eccleſiæ ſeruitium congruenti tempore expoſcit.

Qui vltra iniunctum diem Miſſas exoluendas differunt propriæ conſcientiæ immemores, Eccleſiæ, & Altaris, quibus inſeruiunt paruipendent ſeruitium; ne hoc in fraudem piarum voluntatum contingat, mandamus, vt omnes ſacriſtæ, vel alij eo munere perfungentes teneantur præſtare iuramentum de fideliter eos punctando. Qui verò ad terminos Tabellæ, vel aliàs ſtatuto die non ſatisfecerint, pœna vnius libræ ceræ qualibet vice mulectentur, quam in commodum ſacriſtiæ cedere volumus.

Eueniente obitu alicuius Canonici, vel Capellani, onera

ra Miſſarum vacanti Canonicatui, vel Capellæ adiunctarum per Capitulum expleri volumus, & hoc ex redditibus eiusdem Canonicatus, & Capellæ, ſi qui Capitulo obueniunt, ſin minus ſumptibus eius, qui primos fructus lucratus erit.

Ordo pulſandi campanas ad Diuina Officia in Tabellis deſcriptus nullo tempore, & à nemine immutetur, niſi de noſtra, vel noſtri Vicarij Generalis licentia, & vbi peculiaris tabella propoſita non eſt, ſeruetur ea, quæ in Cathedrali S Laurentij conſtituta eſt, Sacriſta ad pœnam vnius libræ ceræ aliter pulſare nemine inſtante audeat. Qui intereſſe debent, horis debitis præſtò ſint, & Chorum à Sacriſtia adeuntes decenti geſtu, demiſſo vultu, ac ſtudioſa mente ſe componant, riſus, vanas collocutiones, & ſimilia abhorrentes; in his culpabiles tanquam abſentes punctentur.

Camerarios Capitulorum pro tempore monemus, vt ſedulò incumbant, ne ob eorum negligentiam Eccleſijs, & Capitulis aliquid detrimenti obueniat; De omni enim minus rectè geſto, aut negligenter omiſſo erit ratio repetenda, & ab ipſis pœna ſubeunda.

Decet eum, qui Altari ſeruit debitas diſtributiones in tempore conſequi poſſe, ſtatuimus proinde, vt noſtrarum Cathedralium, & Collegiatarum Capitula illarum diuiſionem ſtatis diebus omnino abſoluant, & ab vnoquoque illicò, quæ debetur ſumma pro parte extracta perſoluatur, qui in mora fuerit illam conferendi, vel ij quorum culpa huiuſmodi diuiſionem protrahi contigerit, careant omnium reddituum rata tunc ipſis obueniente, quam ex nunc Sacriſtiæ applicamus, & per Sacriſtam maiorem in illius beneficium exigi, & retineri mandamus, aliter quicquid per eum remiſſum, aut omiſſũ fuerit de ſuo eidem Sacriſtiæ reſtituet.

In

Sac. Rit. Congr. in Viterbien. 25. Iunii. 1611.

In proceſſionibus, in quibus etiam Capitulum Cathedralis accedit, huic præire debet is, qui ſtolam ex proprio officio defert, & ſubſequi omnes alios de Clero.

Conc. Lat. ſeſſ. 11. Syn. Mut. pr. Cap. 20. §. poſt præcantatum.

Illud eſt in memoriam reuocandum, quod ad debitum honorem Cathedrali, vel Matrici Eccleſiæ ſeruandum, nulli etiam ex Regularibus, quocunque Priuilegio ſuffultis, fas eſt in Sabbato maioris hebdomadæ ante eandem Cathedralem, vel Matricem campanas pulſare, contrafacientes pœnam ſcutorum centum in Concilio Lateranenſi comminatam non euadent.

Sac. Congr. 9. Feb. 1608 & 21. Mar. 1609.

Ne id, quod ad Sanctorum Feſtiuitates, aliaſque Eccleſiaſticas functiones excitandas inductum eſt, in ſtrepitoſum abuſum vertatur, edicimus, vt nunquam poſt primam noctis horam more ſonitus feſtorum campanæ pulſentur, & laudabiliter functionis celebritas per diem ante præueniri poterit, ſub pœnis arbitrio noſtro.

De Parochis. Cap. III.

SI quando iuſta de cauſa ſuper denunciationibus matrimoniorum diſpenſabitur, ſemper ſub excommunicationis pœna Parochi contrahentibus Matrimonij conſummationem interdicant, niſi in totum remiſſæ fuerint.

Vbi Sponſi ſub diuerſis parochijs domicilium habent, vtrobique ſunt faciendæ denunciationes, itaque in matrimonium non iungantur, niſi habita fide denunciationum alterius Parochi, & per quamlibet licentiam aſſiſtendi matrimonio à noſtra curia obtentam, numquam cenſeatur ſuper illis diſpenſatum.

Viaticum deferre ne faciant per Sacerdotem, qui non ſit ad confeſſiones audiendas approbatus, niſi aliter neceſſitas cogat.

De Funeribus, Exequijs, & Sepulturis.
Cap. IV.

ILlicitas pactiones, & pecuniarum exactiones pro tumulandis cadaueribus funditùs euertere cupientes, receptam pariter huius Ciuitatis conſuetudinem pia fidelium deuotione introductam toti Clero ad huiuſmodi funera inuitato aliquid eleemoſynæ nomine offerendi retinentes, incertam tamen huc vſque in certos limites conſtituere volentes, vt auaritiæ ſuſpicio tollatur, eam reducimus ad iulios quatuor ad plus pro quolibet ex Canonicis Cathedralis, & non vltra, pro Canonicis Collegiatarum, & aliarum Eccleſiarum Rectoribus duo, vnum denique pro ceteris Capellanis, & Præsbyteris, inter quos numerandi erunt qui aliquo ex Sacris Ordinibus ſunt inſigniti.

Rectores vero ex Rectoratus munere nihil prætendere poſſint vltra eleemoſynam eis ex proprio gradu congruentem, antiquam tamen conſuetudinem in eo admittimus, vt ſecundam ceræ candelam, quæ ſit pariformis omnibus Rectoribus cuiuſuis gradus, habeant.

Vt inter Eccleſiaſticos omnis euellatur occaſio diſſidij, ex quo non mediocriter laicorum minuitur opinio, ſancimus, vt in tumulatione defunctorum Parochus vnde leuatur Cadauer poſt Capitulum Cathedralis Eccleſiæ omnes alios præcedat, & vſque ad Eccleſiam ad quam defertur officium peragat, ibique ſi ipſe maluerit adeſſe poterit, relinquendo officium, & præcedentiam Parocho, vel ſuperiori illius Eccleſiæ, ad quam delatum eſt. Adden. ad primam Synodum Muti Cap. 32. §. circa locum.

Quartam partem totius ceræ quæ circa feretrum, & circa vexillum crucis diſpoſita fuerit conſignandam eſſe Parocho illius Eccleſiæ, vnde leuatur cadauer conſtitutum eſt, hanc deberi declaramus nedùm cùm ad Eccleſiam Adden. ad primam Synodum Muti Cap. 31. §. faces.

eſſer-

Cong. RR. DD. Præf. Vrbis cũ ap prob. Fel. rec. Vrb. 8. 21. Maitii 1629.
Sac. Conc. Epiſ. in vna Baren. 29. Iul. 1616.
Ex pr. Synodo Muti Cap. 32. §. In proceſſ.

effertur, verum etiam cum ante illud in Eccleſiam etiam Regularium miſſa, vel Officium peragenda ſunt, inhibentes tamen, ne lumina auferantur antè expletum Officium ſub prætextu huiuſmodi portionis. Ad hæc hæredes, ſeu vltimarum voluntatum executores etiam compellendos eſſe decernimus.

Quamuis Confratribus, qui ad ſepellienda cadauera vocantur, ex antiquioribus Synodis indultum ſit, vt loculum circumambire poſſint, id tamen paucis locum operariorum ſubituris permitendum eſt; cœteri ante Clerum in ordine procedant.

Quoties aliquis obierit curent Parochi ſtatim dari ſignum Campanæ, & ſi id contigerit poſt horam primam noctis, differatur ad diem ſequentem, & vltra campanarum pulſationem inhibemus, eo dumtaxat tempore excepto, quo cadauer leuandum, & funus peragendum erit.

De Vita, & Honeſtate Clericorum.
Cap: V.

OMnium Synodalium ſanctionum monumenta teſtantur, quantùm noſtri Prædeceſſores Paſtorali ſollicitudine, & nos ipſi laborauimus, vt Eccleſiaſticæ diſciplinæ norma apud eos fulgeret, qui Clericali militiæ adſcripti ſunt, cœteriſque hi omnium virtutum præclarum exemplum præberent. Lectores ergo, & imitatores ſint omnes hi eorum, quæ huc vſque ſalubriter inſtituta ſunt. In memoriam tamen reuocare debemus contra Clericos arma deferentes, & comam nutrientes pœnam excommunicationis à Sacris Canonibus comminatam eſſe; & nos pariter hæc abhorrentes, contra dictarum pœnarum contemptores ad declarationem procedemus, ac alijs tẽporalibus pœnis à ſimilibus eos abſtinere compellemus.

A profanis ſpectaculis, commeſſationibus, publicis conuiuijs, & deliciosis laicorum oblectationibus procul ſiat, nè Eccleſiaſtici miniſterij dignitas contemptui fiat.

De Concubinarijs, & Meretricibus. *Cap. VI.*

ETſi graue peccatum eſt ſolutos laſciuiarum voluptatibus implicari, grauioris tamen culpæ iudicium ſubſtinebunt, qui alienum torum violantes adulteriorum flagitio ſe commaculant. Cum itaquè effrenata impudentia nonnullarum mulierum eò vſque proſiluerit, vt legibus connubij addictæ, eas tamen nihil habentes publico meretricio viuant multorum expoſitæ libidini. Hoc deteſtandum crimen, quantum poſſumus, è noſtris Ciuitatibus, & Diœceſi eliminare cupientes, ſupradictis ſceleſtis mulieribus exilium è finibus totius noſtræ Diœceſis indicimus, ac præſentis decreti auctoritate decernimus infrà terminum quindecim dierum, quos etiam pro trina canonica monitione aſſignamus. Quæ verò mulieres dicto termino elapſo vbique publico meretricio adulterantes repertæ fuerint, vel etiam per inquiſitionem, ſic deliquiſſe conſtiterit, pœna publicæ fuſtigationis plectentur, & nihilominus exules à finibus Diæceſis abire compellentur. Conc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 8. de refor. matr. Syn. Mut. pr. Cap. 18. §. illud.

Contrà laicos, qui per ſex menſes in concubinatu perſiterint excommunicationis ſententiam iam diu latam in memoriam reuocamus, vt ſciant ſe illa innodatos, qui concubinas non eiecerint, aùt à commercio cum eis non abſtinuerint, iniungentes parochis, nè de huius pœnæ incurſu populum congruenti tempore animaduertere prætermittant. Syn. Prim. Muti ca. 18 §. Laicos.

Cap. hoc cóſultis de reb. Eccleſ. non alien. in 6.
Extrauag. ambit. eod. tit. in com. de reb. Eccl non alien.
Conc. Aur 3. Cap. 26. & 5. Can. 16 Con Turon 2. Cap. 26.

BOnorum Eccleſiaſticorum alienationes, & quælibet diſtractiones ſub quamplurimis pœnis, ac cenſuris à Sacris Canonibus, & conſtitutionibus ſummorum Pontificum interdictæ ſunt, ad obuiandum tamen contractibus, per quos Eccleſiaſtici redditus eneruantur ex apparenti inueſtimento in perſonis minus idoneis, debitis non præmiſſis cautelis, ſtatuimus, vt omnes pecuniarum quantitates pro locis pijs inueſtiendæ deponantur penes Sacrum Montem Pietatis exhibita cedula in Actis noſtræ Cancellariæ, nec inueſtiantur, niſi noſtro, vel noſtri Vicarij Generalis præcedente aſſenſu. In inſtrumentis verò cenſuum apponi volumus clauſulam, quod ſemper, & quandocunque euenerit caſus retrouenditionis debeant deponi, vt ſupra, cum promiſſione renouationis fideiuſſorum ad ſummum tertio quoque anno, Ac etiam in caſu deteriorationis, vel mortis alicuius ex obligatis; Aliter contrahentes ijſdem cenſuris ſubiicientur, & vltra compenſationem damnorum locis pijs, alijs pœnis afficientur.

Rot. in Rauennaten. Emphyt. 28 Maij 1631. cor. bo: me. Merlino de qua infra.

Quoniam per conceſſionem etiam Laicis factam, de bonis Eccleſiæ, emphyteutico, libellatio, aut ſimili titulo, vtile dominium non ſeparatur, nec diuerſi modè conſideratur à directo; bonorum Eccleſiaſticorum verè occupatores ex canonicis ſanctionibus ſunt etiam hi, qui in ſimilibus redditibus emphyteuticis, aut libellarijs Eccleſiæ Dominium inuertere præſumunt, eos occupando, negando, aut impediendo quò minus ijdem percipiantur ab his, ad quos de iure pertinent; Cum itaq; exemplo compertum ſit quam plures ex dictis redditibus ex incuria in illis exigendis, et contumacia in perſoluendis, decurſu temporis probationibus deperditis, occupatos fuiſſe; ſtatuimus nè vltra biennium Beneficiati locorumq; piorum Mini-

S. C. Trid. ſeſſ. 22. de refor. cap 9 Conc Lat ſeſſ. 9 & 10. Bull. Cœnæ can. 7.

niſtri, & Officiales exactionem eorum protrahant, & niſi in actis noſtræ Curiæ (ad quam vocandi, & conueniendi ſunt eorumdem bonorum poſſeſſores) de opportunis diligentijs conſtiterit etiam acceptatæ caducitatis, ſi in tempore ſolutio facta non fuerit, ipſos Beneficiatos locorumq; piorum Adminiſtratores ad omnia damna Eccleſiæ, vel loco pio inde obuenientia obſtrictos eſſe decernimus; contra verò eos, quos occupaſſe, vel impediuiſſe, ſub quouis titulo, aùt prætextu apparuerit, ad cenſurarum declarationem, & cedulonum publicationem procedi mandamus, vt hi, quos conſcientiæ ſtimulus non cõmouet, & excommunicatio non excitat, erubeſcendo publicam denunciationem ad Eccleſiæ, & loci pij condignam ſatisfactionem, ſummiq; Pontificis abſolutionis beneficium quantò citius exquirendum compellantur.

Atque huic malo occurentes in memoriam reuocamus, quæ aliàs à nobis ſancita fuerunt de inuentario omnium bonorum, reddituum, ac iurium Eccleſiaſticorum conficiendo, mandantes, vt infra bimeſtre omnino in noſtra Cancellaria ſeruandum, omnes beneficiati, & piorum locorum adminiſtratores tranſmittant, ſpecificatis debitoribus, fideiuſſoribus, die, ac rogito Notarii, & vbi in ſtabilibus termini non apparent infrà id tempus appon i. Cura ſit Vicariorum locorum, vt id executioni demandetur, & ad pœnam ſcutorum decem contrà inobedientes procedant. Syn. noſtra pr Cap 21. Prou. pr. & 4. Mediol.

Inſtrumenta alienationum ante obtentum, ac executum beneplacitum Apoſtolicum; vel noſtrum reſpectiuè fieri prohibemus cum clauſula (illo reſeruato) niſi ex legitimi, & vrgenti cauſa nobis, vel noſtro Vicario Generali cognita.

Si quando bona Eccleſiæ libellaria, emphytheutica iure permittente, & in defectum aliorum bonorum pro

 doti-

dotibus filiarum conſtituantur, vltrà diſpoſita à Sacris Canonibus, hac noſtra ſanctione præcauendum eſt, vt à contrahentibus de hoc in Inſtrumento fiat ſpecialis mentio, & Eccleſiæ ſaltem ſimplex copia huiuſmodi aſſignationis infrà duos menſes à die celebrati contractus ſub excommunicationis pœna exhibeatur.

Cap. 2. de Feud. Ex trauag. ambit de reb. Eccleſ non alienandis.

Quamuis bona Eccleſiaſtica ſolita ab antiquo in emphyteuſim concedi poſſint iterum ſic alienari, ea tamen lege id permiſſum eſt, vt ſemper cum euidenti Eccleſiæ vtilitate, quæ de tempore nouæ conceſſionis intercedat; acnon immutata forma antiquarum conceſſionum fiat, ad hæc, & alia perquirenda noſtrum, vel noſtri Vicarij Generalis aſſenſum in ſcriptis cauſa cognita accedere volumus; contractus aliter factos, & faciendos nedum irritos declaramus, verum, & in ipſos contrahentes, ac Notarios inſtrumenta celebrantes Eccleſiaſticis cenſuris, Jijſq; pœnis contra malè alienantes impoſitis, animaduertemus.

Grauis peccati culpa tenentur, qui vinum aqua permixtum vendunt, grauioris autem qui Eccleſias ipſas directò fraudare non pertimeſcunt, aqua adulterando Muſtum ex libellarijs, ſeu alijs contractibus Eccleſiæ, vel loco pio reddendum, ſupradictorum conſcientijs, nec non Eccleſiarum locorumq; piorum indemnitati proſpiciendo; inhibemus, ne hi abſoluantur priusquam re ipſa plenè ſatiſfecerint, ſublata Confeſſarijs aliter abſoluendi facultate.

De Confraternitatibus. Cap. VIII.

VT in deputandis Depoſitarijs, Camerarijs, exactoribus, & ſimilibus, ſub quorum fide pecunia eccleſiaſtica exigenda datur, cautè procedatur, declaramus ab eligentibus ex proprio reſarciendum eſſe quicquid damni loco pio ex mala electione obuenerit, & ſummariè ad id

com-

compellendos eſſe conſtituimus; Niſi conſtiterit ſic deputatos poſt electionem minus idoneos effectos fuiſſe.

Defunctorum pijs voluntatibus omni ſtudio fauentes ſancimus, vt legata dotium pro puellis relicta, omni prorſus remoto affectu, ac intereſſe per eos, ad quos ſpectat executioni demandentur, & fraudum ſuſpiciones omni ex parte euellere cupientes, vt ritè in electionibus, viſitationibus, aſſignationibus dotium, illarumque reſtitutionibus procedatur, mandamus, vbique ſeruari cõſtitutiones Confraternitatis S. Egidij de diſtributione huiuſmodi dotium, quas matura conſideratione recognouimus; Saluis tamen & in ſuo robore permanſuris conſtitutionibus, ſi quibus peculiaribus alia loca pia ſuffulta ſint. Aliter electio facta irrita ſit, ac dos conſtituta ad noſtrum, & Officialium Confraternitatum nutum reuocabilis.

Quæ generaliter circa pecuniarum eccleſiaſticarum inueſtimentum à nobis conſtituta ſunt, pariter ſeruanda erunt ab omnibus confraternitatibus, circa quas noſtras edictales litteras iam ſub die 20. Nouembris 1647. emandatas in vim decreti Sacræ Congregationis Concilij (infra ex toto tenore inſerendas, ac regiſtrandas) innouamus, ac præſentis decreti robur eis adijcimus.

De Monialibus. *Cap. IX.*

VT præfinitus numerus Monialium cuilibet Monaſterio conſtaret in noſtra vltima viſitatione, deſignationes aliàs factas indagati ſumus, ſi quæ ex temporis interuallo minus perſpicuæ apparebant, vel deperditæ fuerant, in certum ac determinatum numerum conſtituimus, & ne in poſterum oriatur confuſio, volumus, vt Abbatiſſæ, & Prioriſſæ pro tempore initio eorum officij ordine à nobis præſcripto Tabellam renouent.

Pecuniæ

Pecuniæ dotales Monialium ſupra numerum receptarũ, ex decretis Sac. Congreg. in bonis ſtabilibus fructiferis, vel in locis montium non vacabilibus, aũt(ſi aliter non poſſit) in cenſibus tutis, & ſub idoneis fideiuſſoribus collocãdæ ſunt, quod idem ſeruandum erit in pecunijs ex dotibus monialium infra numerum prouenientibus. Hoc inueſtimentum ſicut & aliarum pecuniarum noſtro, vel noſtri Vicarij Generalis aſſenſu præcedente faciendum eſſe decernimus iuxta eadem Decreta Sac. Congreg. & ad formam eorum, quæ de bonis Eccleſiaſticis à nobis ſancita ſunt. Contra Abbatiſſas Prioriſſas, aliaſque Officiales, ſi quid in præmiſſis attentare præſumpſerint, pœna ſuſpenſionis ab officio per ſex menſes animaduertemus.

Statum reddituum cuiuslibet Monaſterij identidem, ac matura conſideratione perſcrutati ſumus, certamque viuendi normam approbauimus. Sit ergo peculiaris cura earundem Abbatiſſarum, Prioriſſarum, vel officialium, nè quid vltra id, quod Monaſterij facultates ſuppetunt, erogetur, ſub præmiſſa pæna.

Dos Monialium infra numerum non minus ſcutorum trecentorum ſit iuxta editam à nobis taxam. Hoc idem pro Monaſterio S. Pauli Ciuitatis Tuſcanellæ conſtituimus, Vbi tamen ſupra numerum admitti poterunt cum dote quadringentorum ſcutorum.

De Caſuum Congregatione. Cap. X.

AB his potiſsimum conſilium dirigendæ ſalutis fidelium habetur, qui audidendis confeſsionibus expoſiti ſunt, idcirco caſuum congregationes habentur, vt hi & Sac. Cõg Conc. 18 Martii 1598. & 11. Iulii 1620. ſtudio excitentur ad huiuſmodi munus laudabiliter explendum, & mutua collocutione controuerſorum caſuum omnibus ſit æqua deciſio; ſciant ergo tùm Canoni-

ci,

ci, tùm & Parochi etiam Regulares, & Confeſſarii eos ex decreto Sacræ Congregationis Concilii ad conueniendum obſtrictos eſſe, ſicq; illos obligamus ad pænas in noſtra ſecunda Synodo indictas. Regulares vero omnium frequentiores ſperamus, nec aliter ad id eos excitandos eſſe confidimus.quod ſi conuenire contempſerint, ſciant nos è contra ea, quæ à noſtro pendent arbitrio minimè ſibi indulturos.

In noſtris Ciuitatibus, & tota Diæceſi ſaltem bis in mēſe habeantur. Incumbit hoc in Cathedrali Viterbienſi Canonico obtinenti Theologalem præbendam; In Ciuitate Tuſcanellæ Primicerio, ac per Diæceſim Archipresbiteris cura ſit ad pænam duarum librarum ceræ. Et Vicarii Foranei etſi curam animarum non gerant, ipſi quoque interſint, & omnes accedere ſtudeant, noſtrumque Vicarium genera em de contumacibus moneant.

Atque vt omnibus tempus, & dies, tum, & caſus diſcutiendi futuræ congregationis innoteſcant, volumus vt in qualibet congregatione tempus ſubſequentis indicatur, & caſus, de quibus collocutio habenda erit in ſcriptis exarati proferantur.

De Oratione Quadraginta Horarum. Cap. XI.

VIam veritatis ibi adinuenire poſſumus, vbi Chriſtus, qui vita eſt adoratur. Laudabile itaque noſtræ Cathedralis S. Laurentij, pluriumque Eccleſiarum, & Sodalitatum inſtitutum expoſitionis Auguſtiſſimi Sacramenti Euchariſtiæ in ſpatio quadraginta horarum commendantes, ac populum à nobis in viam ſalutis dirigendum excitare cupientes, vt ibi frequenti concurſu eorum figant corda, vbi vera ſunt gaudia, certos, ac peculiares dies deſignauimus, & nonnullos inter eos, quos maximè decet, vt qui Chriſtia-

næ-

næ pietatis, ac Religionis nomen agnoſcunt, ſpiritualis alimonij cibo reficiantur, & beneficij memores, ante eum gratias referant, quem ore, & corde contrectauerunt. Quadam ergo continuata ſerie certos dies diſtribuimus, & in tabellam reduximus, ac monemus omnes Parochos, vt in eorum Eccleſijs eam propè fontem aquæ benedictæ propoſitam habeant, populumq; præſcripto die commoneant, vt digna veneratione illuc accedat. Nos quoque ſummoperè optantes tam laudabile exercitium ad incrementum dirigere, hortamur, & in Domino obſecramus omnes, quibus eadem cura incumbit ordine in tabella deſcripto, vt ad maiorem feruorem, id opus prouehere contendant.

Ex Synodo Muci prim. cap. 12. pium plurimarum.

Edicimus vt in locis, in quibus recepta eſt iuxtà conſuetudinem oratio huiuſmodi habeatur. Sicubi vero per Dioeceſim adhuc inſtituta non eſt in Dominica Palmarum peragatur, aliis verò temporibus non niſi de noſtra licentia fiat.

De Seminario. *Cap. XII.*

SIcuti in cœteris rebus nihil poteſt eſſe ſtatim perfectum, ſed paulatim ad ſummum peruenitur, ita opus Seminarii, quod ſuperioribus annis aggreſſi ſumus non potuit hucuſque perduci ad eum, quem perfectum quærimus ſtatum. Deputatorum itaque illius partes erunt Taxam iam euulgatam diligenter recognoſcere, Et ſi quæ beneficia, loca pia, ſodalitates deſint pro redditibus, qui habita ratione onerum ſuperſunt, apponi curent; Hilari enim animo tàm proficuo operi reſponſuros omnes ſperamus, iſtæ enim ſunt arbores. & propagines, vndè noſtræ Ciuitates, & Diœceſis congruenti tempore effloreſcant.

De Foro Epiſcopali. *Cap. XIII.*

A Noſtro Epiſcopali foro omnem quidem auaritiæ labem, & inordinati quæſtus ſuſpicionem procul eſſe ſtuduimus, id circo ſemel, atque iterum illius taxam ad præſcriptum Decretorum Sacræ Congregationis Epiſcoporum recognouimus. Et nunc demum aliqua declarando, aliàuè abolendo elucubratam euulgari mandauimus. In profanis autem eandem fœl. record. Card. Farneſij iuſſu iam diu emanatam, & in noſtro Tribunali omni tempore obſeruatam retinemus. Decernentes iuxtà eas in poſterum procedendum eſſe.

Notarij animaduertant excommunicationis latæ ſententiæ vinculo ſubiacere, ſi ſcripturas quomodolibet ad noſtram curiam ſpectantes retinuerint, vel occultauerint, ſi inſtrumenta à decem diebus poſt ſtipulationem in protocollum non reportauerint.

Ex pr. Syn. Muti de foro Epiſcop. & noſtra cit. de obſeruá. diſin noſtro Tribun.

Caueant ne proceſſus originales partibus, vel procuratoribus extra Cancellariam conſignent, & ſi quando pauperum exigente commoditate ità opportunum erit, non niſi de noſtri Vicarii Generalis aſſenſu fiat.

Decreta Generalia. *Cap. XIV.*

AD tollendam omnem dubitandi occaſionem declaramus, ea omnia, quæ in Synodalibus ſanctionibus nobis ſunt reſeruata, etiam noſtro Vicario Generali reſeruata cenſeri, & ab eo terminari, & exequi poſſe.

A die prima Anni Iubilei has conſtitutiones obligare volumus; numquam tamen ad peccatum mortale, vbi contemptus abſit, vel excommunicatio adiecta non ſit, niſi aliter in iure cautum, vel communi Theologorum ſen-

tentia firmatum ſit; In ſuo robore permanſuris præteritarum Synodorum decretis, quatenus his non aduerſentur.

De Examinatoribus, Iudicibus, ac Teſtibus Synodalibus. Cap. XV.

DEmum Sacri Concilii Tridentini Decretis innixi, in examinatores ad concurſus habendos ſuper Parochialium Eccleſiarum prouiſionibus, & de ordinandis periculum faciendum, ac in Iudices Synodales ad expediendas cauſas ex Apoſtolica delegatione commiſſas deputamus.

Examinatores Synodales in Ciuitate Viterbij.

Admodum R.R. D.D.

Ioannem Baptiſtam Tomatum Archidiaconum Viterbien. I. V. D.
Angelum Zollam Archipresbyterum Viterbien. I. V. D.
Carolum Perſianum Pœnitentiarium. I.V.D.
Ioannem Baſtonium Theologum S. T. D. — Canonicos
